

præferendum esse bono particulari, et majus bonum minori, sed servare jus divinum est bonum magis universale, et majus quam omnia bona creata; ergo propter ista non debet jus divinum violari.

XVI. Ad confirmationem respondetur, quod nullus potest eximi a juris naturalis obligatione; cæterum hoc debet esse per media licita, et proportionata fini, non est autem medium proportionatum violatio juris divini, ut conservetur regnum: in quo fallitur maxime opposita sententia, tenetur ergo quis, magis consulere bono communi, quam privato. Verumtamen si in respiciendo bonum commune includatur aliquid ex sua ratione malum, non tenetur per illud medium talem finem consequi, sic enim posset esse licita fractio præceptorum decalogi ad consulendum bono communi, quod est absurdum Sit exemplum: De jure naturæ tenetur quis consulere propriæ vitæ, cæterum si ad conservandam illam proponatur illi hoc medium, quod abneget fidem, vel quod furetur, non poterit per hæc media illi fini consulere, imo in illo casu tenebitur potius mortem optare, quam illud medium assumere.

XVII. Ad secundam confirmationem respondetur cum Aragon hic, quod illa major intelligitur in votis simplicibus, quæ tantum sunt promissiones, non autem voto solemnni, quod est totalis traditio; multa enim sufficiunt ad rescindendam promissionem, quæ non possunt totalem traditionem rescindere, ut patet in sponsalibus, et in matrimonio, unde dicimus, quod sicut non posset ille contrahere matrimonium, si sciret ex eo periclitaturum bonum commune, et tamen si contraheret, factum teneret, et dissolvi non posset; sic etiam in casu confirmationis non posset ille vovere castitatem, si

sciret periclitaturum bonum commune; si tamen illam vovisset, illo non obstante, factum teneret et dispensari non posset.

XVIII. Tertio arguitur: In omni voto etiam solemnni intelligitur hæc conditio: Nisi pontifex dispensaverit, ergo in omni voto etiam solemnni potest pontifex dispensare. Consequentia patet et antecedens probatur: Votum est lex quædam particularis, quam sibi homo particulariter præscribit; sed in omni lege, ut justa sit, intelligitur hæc conditio. Si non obstat bono communi; ergo in omni voto intelligitur. Nisi pontifex dispensaverit. Patet consequentia, nam ad ipsum maxime spectat providere bono communi. Confirmatur. Votum continentie clericorum, et religiosorum sunt ejusdem speciei, sicut supra dictum est; ergo habent eandem rationem: et consequenter, vel utrumque est indispensabile, vel neutrum.

XIX. Respondetur negando, quod intelligatur illa conditio in voto solemnni religiosorum, scilicet. Nisi papa dispensaverit, nam sicut potest quis contrahere matrimonium, etiamsi damnum sequatur reipublicæ, et tunc non includitur in eo ista conditio: Nisi papa dispensaverit; sic etiam poterit solemniter castitatem vovere, et tamen quod non includatur illa conditio, quoniam utrobique est totalis traditio. Argumentum autem probat, quod ille vovens potuisset apponere talem conditionem, non tamen probat, quod necessario in voto solemnni continentie talis conditio intelligatur, imo oppositum videtur includi, cum enim ipse ex vi actus voluntatis promittat castitatem usque ad mortem, ejus mens, et intentio potius est, quod non dispensetur cum illo, neque apponatur talis conditio.

XX. Ad confirmationem respondetur concedendo votum clerico-

rum et religiosorum esse ejusdem speciei, negatur tamen quod sit eadem ratio dispensabilitatis in uno, atque in altero, dispensabilitas enim in voto attenditur penes ordinem ad causam extrinsecam, scilicet ad potestatem superioris, unde stante eadem unitate specifica, poterit reperiri hæc distinctio numeralis in ordine ad ipsam. Cum ergo votum solemnne continentie clericorum respiciat pontificem tamquam causam, ex qua dimanavit obligatio ad continenter vivendum; votum vero religiosorum non respiciat pontificem tamquam auctorem, et causam continentie monachalis, sed solum Deum, cum sit de jure divino, inde fit ut pontifex possit dispensare in voto clericorum, non autem in voto religiosorum.

XXI. Quarto arguitur: Latria est excellentior virtus quam castitas, sed votum latriæ est dispensabile; ergo et votum solemnne continentie. Probat major, nam latria respicit immediate Deum; castitas autem immediate solum continenter vivere; ergo. Confirmatur: Supra votum continentie clericorum potest fieri dispensatio; ergo etiam supra votum continentie religiosorum. Si dicas, quod continentia in religioso est de jure divino, non autem in clerico, contra, nam in similibus casibus, quos inter arguendum proponebamus, videtur, quod fiat exceptio ipso jure divino dictante, vel saltem debeat interpretari jus divinum, quod non se extendat ad similes casus.

XXII. Ultimo arguitur: Nam licet existenti statu monachali, nequeat intelligi, quod non teneatur iste ad castitatem servandam, potest tamen pontifex facere, quod iste non sit monachus; ergo tunc deobligabitur a voto continentie. Quod autem hoc possit fieri, patet, nam iste libere se voluit obligare ad statum mona-

chalem; ergo. Confirmatur, nam hoc ipsum reperitur in vasis, quæ sunt Deo consecrata, manentibus enim ipsis non possunt non esse consecrata, poterunt tamen amittere formam vasis, et sic omittunt consecrationem; ergo similiter in monachis, etsi non possit dispensari manente monachatu, poterit tamen dissolvi.

XXIII. Respondetur, quod licet in voto orationis, aut sacrificii pontifex dispensare, et etiam in voto simplici continentie, imo et in solemnni, si fit de jure positivo, non autem in voto solemnni monachorum; non quia sit de meliori, et præstantiori objecto, sed quia includit totalem traditionem de jure divino, et quidem si argumentum aliquid probaret efficeret etiam ut votum de diligendo Deo non esset dispensabile, quod est falsum, nam illa materia quatenus subjacet liberæ voluntati ipsius subditi, poterit per prælatum auferri, vel dispensari. Quod vero hoc sequatur patet, nam objectum charitatis est præstantius inter omnia objecta virtutum; si ergo dignitas objecti attendereetur, hoc esset indispensabile, solum ergo debemus considerare, an includat totalem traditionem, et hanc de jure divino. Ad confirmationem respondetur, quod jus divinum est interpretandum sicut sonat, nisi ipse Deus aliter declaraverit, sicut fecit respectu matrimonii rati non consummati, quod explicatum est a Concilio dirimi per votum solemnne religionis.

XXIV. Ad ultimum respondetur, quod sicut stante calice non potest fieri, quod non sit consecratus, sic etiam post emissam professionem non potest religiosus deobligari a tribus votis religionis. Probat autem argumentum, quod sicut per desitionem calicis desinit consecratio, sic etiam per desitionem hominis,

ut fit in morte desinit status religiosus; vivente autem ipso, qui promissit, cum totaliter tradiderit seipsum secundum quamcumque rationem, quæ ex ejus voluntate, et libertate pendebat, et hoc sit de jure divino, non poterit admitti dispensatio. Ad confirmationem patet ex dictis; concludimus ergo, quod cum magis in decorem reipublicæ christianæ cedat non dispensari in voto solemn

religiosi, quam e contra, sententia theologorum, quæ partem tuetur negativam probabilior erit, et securior, præsertim cum ipsa attendat id, quod est de jure naturali, et divino, ne scilicet propter bonum particulare regni vel totius mundi violetur illud jus naturale, respectu cuius quodcumque bonum creatum habet minimam entitatem.

Quæstiones sequentes quodlibeticas, quæ pro academiæ more, doctorali lauro præmitti solent, auctor recitandas a discipulis composuit. Placuit vero eas huic tomo inserere; tum ut multorum votis copia fieret, eam enim dum recitabantur fecerunt sitim, quæ uno audiendi haustu expleri non potuit, et oculi in voluptatis, et disciplinæ consortium hac preli arte vacarentur; tum præcipue ut non sine admiratione constet, virum tot seriis, et rigidis occupatum amanioribus istis non defuisse, et illud opus per indulgentiam, et remissionem licuisse, quod cum alias satis esset virtuti, etiam virtuti otium subtraheret. Porro quoad opus ipsum attinet, nostrum in primis esto iudicium auctorem redolere, non suppositum, et adulterinum, sed legitimum esse, cæterum tumultuario compositum, et non ultima manu perpolitum. Sic vero nos imperfectum relinquimus, quia præstat sincero calamo tanti magistri ultroneas, et primas cogitationes ministrare, quam et nostra tenuitate aliquid, etsi mediatum addidisse.

QUÆSTIO PRIMA EXPOSITIVA.

AD ILLA VERBA :

Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, Genes. xx.

Cur Saram tanto argenti pondere ad velamen oculorum uti Abimelech voluerit.

I. Magna consuetudinis vis, magna temporum, successionumque elabentium firmitas. En ipsa antiquitatis auctoritas, nihil majus in sui probationem sistit, quam seipsam, inconsultum est quidquid veterum fundamento stabilitur, et via illa solida, et sine periculo, quæ multorum attrita pedibus, pulverem potius quam pollutum exhibet, nitidumque aspectum, visui magis, quam incessui profuturum. Non potest humana mediocritas omnia simul capere, et ideo paulatim dirigi, et ordinari, et ad perfectum perducere debuit disciplina, ut quæ prioribus sæculis inculta, et vix barbariæ disposita, hirsuta, adhuc et spinosa videbantur, successu temporum eliquente, cultu redderentur, et polita. Pulchre Tertullianus cap. i de velandis virginibus: «Nihil, inquit, sine ætate est, et omnia tempus expectant. Denique Ecclesiastes, tempus inquit omni rei: aspice ipsam creaturam, paulatim ad fructum promoveri: granum est primo, et de grano frutex oritur, et de fructu arbuscula emittitur, deinde rami, et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, et flos de germine volvitur, et de flore fructus aperitur, is quoque rudis aliquando, et informis paulatim ætatem suam dirigens eruditur in mansuetudinem

saporis; sic et justitia, nam idem Deus justitiæ, et creaturæ, primo fuit in rudimentis natura Deum metuens, dehinc per legem, et prophetas promovit in infantiam, dehinc per evangelium efferbuit in juventutem, nunc per Paraclitum componitur in maturitatem.» Huc usque Tertullianus.

II. Ex cujus verbis eam mihi in vestro conspectu (amplissimi patres) mentem constituo, quam scilicet infirma, impotensque sit naturæ nostræ progressio; quam robusta consuetudinis vis, quæ natura altera appellari solet. Sed revera, non tam æmula naturæ, quam illius robur, et firmamentum appellanda videtur: natura enim inchoat, usus confirmat, illa prioribus actibus ævi infantilibus quibusdam institis, pannisque obvolvitur, et ut tenuis arbuscula vix tenera plantatione germinat, et innascitur; ista quasi robusta arbor amplificatis radicibus, neque ventorum flatibus movetur, neque cœlestibus inclementiis infirmatur. Ecce præ manibus nobis est præclarissimum sacræ Abrahami patriarchæ uxoris exemplum, quod in difficillimi libri Genesis textu expendendum in hac præsentis oratione proponimus. Cum illi in oculorum velamen mille argentei a rege Abimelecho consignentur, ut velata facie deberet incedere non ad extra-